DISPUTATIO INAUGURALIS

DE

MORBIS

BALNEO FRIGIDO

MEDENDIS.

AUCTORE HENRICO PARKER.

In adhibendis remediis, praesciendum ante, quibus viribus singula in corpore sano polleant, quo melius eadem ad morbos sanandos accommodare queamus. Atque hic non observatu indignum est, quo majorem in sano atque integro corpore vim habent remedia, eo ad morbos depellendos aptiora esse. Hoc vero cum grano salis accipiendum est.

Plurimum inter medicos disputatum, et adhuc sub judice lis est, tonicis an sedanti-



bus potentiis quid habet usus balnei frigidi in corpore humano efficacitatis potiori jure tribuendum sit. Haudquaquam mihi in anino est in arenam descendere; a meo enim proposito prorsus alienum est de frigoris actione, et qua pendet origine ejus in corpus humanum praesentia, rationem inire. Res certe satis obscura et explanatu difficillima, neque multum ex usu medico.

Magis ad rem pertinere duco quaedam generalia, quae experientia docet esse vera, de balnei frigidi in corpus humanum effectibus, breviter proferre.

Propter primo insignem, qui inter cutem et omnes corporis partes intercedit, consensum, facultate haud parum valida in corpori succurrendo, et sanitate tuenda, balnei usus frigidi quotidianus pollet. Summam purgando cutem, illamque illuvie sordibusque abluendo, liberam per cutem exhalationem effi-

cit, et in hunc modum animum laetum et hilarem servat ; ut docet Poeta,

> Even from the body's purity, the mind
> Receives a secret sympathetic aid.
>
> THOMSON.

Toti etiam corpori novam alacritatem impertit, eique vigorem mobilitatemque auget, atque exercitationem omnem et laborem facilem et impune sustinendam reddit. Corpus quoque durat, eoque facit ut minus sit sentiens, atque frigori quasi callum potissimum obducit.

> Durum a stirpe genus. Natos ad flumina primum
> Deferimus, saevoque gelu duramus et undis.
>
> VIRGIL. Æneid.

Partium porro interiorum vegetas et vigentes tuetur actiones ; concoctionem facilem et perfectam facit, atque actionem et motum justum intestinis conservat.

Nonnihil dein balnei frigidi potestatis a vi corpus refrigerandi pendere habendum. Li-

cet enim summa superficies primo sortitur effectum, dehinc tamen ad totius partes corporis pertinet fructus. Hunc balneo frigido esse effectum, frigoris diutius et fortius agentis vires vitales ex toto extinguendi docet potestas. Frigoris in principium vitale potentiam sic pingit Poeta,

.... On every nerve
The deadly winter seizes; shuts up sense,
And, o'er his inmost vitals creeping, cold
Lays him along the snows a stiffened corse,
Stretched out and bleaching in the northern blast.

THOMSON.

Ad temperiem corporis moderandam nunquam non utile reperitur frigus: hinc ad motus a calore genitos enormes compescendos bene aptatum balneum sit frigidum, atque hinc etiam cur plurimis morbis, postea memorandis, medendis adeo sit commodum, quodammodo probabilis reddi possit ratio.

Corporis temperiei intra certos limites coercitae imminutioni, summi corporis rubor et

caloris sensus, frigoris evanescente, balneo relicto, mox ibidem succedunt. Atque hos quidem effectus ejusdem usurpationi securitatem praestare quodammodo habendum.

Genus nervosum postremo, vi notabili afficiendo, balneum frigidum valet. Irritabilitatem viresque corporis sentientes minuere, sensus summae superficiei imminutus, et in finibus nervorum sentientibus torpor, plane demonstrant. Hinc ejus in corporis motibus nimiis compescendis utilitas; atque hinc quoque quibusdam ex morbis humano generi maxime lugendis, indicatur remedium.

His de balnei frigidi in corpore sano perspectis potentiis, facile intelligetur, ad qualia corporis vitia profliganda praesertim aptum sit.

In suscepto munere perficiendo, haud mihi stat sententia de morborum historiis disse-

rere, nisi quidem hoc videretur postulare instituti necessitas.

In morbis quibus praesertim auxiliari aptatur hocce remedium recensendis, Nosologia Methodica Culleni duce, ad Pyrexias primo venitur.

Ad morbos calore corporis aucto stipatos, ex modo dictis satis patebit, balneum frigidum prae omnibus accommodari; hacque ratione in morbos febriles nonnihil profuturum. Medici antiquiores, e quibus plurimum neque prorsus consulto quidem recentioribus errare placuit, ad febres profligandas admodum balnei frigidi viribus innisi fuerunt. Quibus vero principiis innitatur remedii usus ignotis *, commoda hac medendi ratione ca-

* "Non tamen quovis tempore," inquit Galenus, "febricitantes levandi sunt, sed in accessionis remissione, cum exhalare jam coeperit febrilis calor." viii. Meth. Med. cap. iii.

pienda, non usu comperta fuerunt, et in desuetudinem lapsum est remedium. Nuperius vero et feliciter remedii iterum in consuetudinem venit usus, et plurima neque levia emolumenta inde carpta sunt. Quaedam etiam generalia quibus innitentes, ad morbi atque aegri conditionem id rite accommodare queamus, jam bene confirmata et constituta sunt principia.

In balneo frigido his morbis adhibendo, memoria has leges semper tenere oportet, nempe, quod tantummodo usurpandum esse cum augeatur corporis praeter ordinem calor; nunquam admovendum esse si minime inalgescat corpus; neque unquam adhibendum sudore madeat cutis. Hisce mente repositis, quovis morbi die adhibeatur remedium; sed quo citius, febre coorta, eo majore vi pollere reperitur. Ex jam dictis facile videbitur, ad calidum febrium stadium, calore admodum aucto, praesertim, imo etiam omni-

no accommodari ; atque summam esse ejus in stadio dicto utilitatem, nos certiores facit Currie, qui in suo libro plurima febribus decumbentium, ad sanitatem hoc consilio redactorum, exempla collegit. Quod ei hac de re visum est sic expedit.

Si ante quartum febris diem adhibeatur *affusio* frigida morbum fere praescindet : licet quoque nuperius admota, calore praeter naturam perstante cuteque sicco, magnos atque claros effectus praestabit ; signa quam gravissima, vigiliam scilicet et delirium extemplo fere mitigabit, et morbum ad optatum eventum citius deducet *.

Eandemque hujus remedii praestantiam porro testatur medicus Italicus Giannini †, qui eo in intermittentibus non secus ac in conti-

* Currie's Med. Rep. vol. ii, p. 2.

† Delle Febri e del meglior metodo de curale, 4to, Milan, 1805.

nuis febribus maximo cum fructu iterum atque iterum uti memorat.

Eidemque denique rei testimonio sunt, quos magnus erit numerare labor.

Animorum pendere solent medici, anne adhibeatur balneum si diarrhoea vel dysenteria simul cum febre laboraret aeger: suo vero testimonio, usuque cônfirmat GIANNINI, in his aliisque quoque exinanientibus vitiis, vomitantibus scilicet vel purgantibus, immo etiam fluentibus mensibus, non tantum sine malo, sed etiam cum commodo usurpari posse.

Pro comperto insuper habetur, cujusdam corporis partis in praesentia existentem inflammationem non omnino in causa esse cur minus adhibeatur remedium. Nemo, ait CURRIE, catarrho vel pneumonia laborantium, aliquid frigida *affusione* adhibita incommodi expertus est, neque morborum gravata nec

aucta fuerunt signa ; e contra quidem plurimum lenita *. Neque postremo nihil prodesse videtur balneum frigidum contagioni obstando, et prohibendo, quo minus serpat malum ad alios.

Plurimis phlegmasiarum generibus succurrere aquam frigidam externe admotam, res multo medicorum usu satis comperta est. Sed de aqua cuidam corporis parti tantum admota, verba facere, haud mihi constitutum est : sermonem igitur de hujusmodi exemplis nullum habebo.

Judicio omnium medicorum ratum est, atque ratione colligi potuisset, balneum frigidum ad exanthematum plurima optime aptatum remedium ; atque usus, dux ad veram scientiam solus, rem ita se habere nos certiores reddit.

---

* Med. Rep. vol. ii, p. 86.

Commodo haud levi, quod, refrigerantibus usurpatis remediis, adepti sunt variola laborantes, ad balnei frigidi in hoc morbo usurpationem plane praemonstraretur via; neque huic monitui parentes, non auscultatis de morbo antiquorum rationibus, nec talis de discrimine consuetudinis sententiis, omnino erraverunt medici. Repertum Jennerianum exiguum remediorum adhibendorum huic morbo ferali locum sane reliquisse debuisset. Cui tamen medicorum non est lugere rem ejusmodi haudquaquam esse? Quod cum ita sit, maximi est momenti ad remedium, quod hujus morbi teterrimi imperio potieretur, tenendum. Tale omnino videtur balneum esse frigidum, quod quidem rite adhibitum, potissimum esse promittit auxilium. Ad variolae speciem illam confluentem dictam praesertim aptari habetur, quippe cui signa in putredinem festinanter ruunt.

In remedio huic morbo adhibendo, quibus

ejus reponitur usus principiis cum studio animadvertendum; nimirum quem a gradu et sensu caloris prorsus pensurum. Hoc in memoria habito, eo deducatur, ut cum fructu, perstante febre *eruptiva* dicta, tantum usurpari potest. In hoc morbi stadio adhibitum, eruptionis indolem multum leniet, omniaque morbi signa magnopere mitigabit. In omnibus exemplis, dicit Currie, *affusio* frigida, durante febre *eruptiva* usurpata, signa quam gravissima mox illico levavit, et morbum admodum mitem reddidit *.

Nunquid est causae cur in rubeola etiam balneum frigidum usui non esse potest? "Quoniam (si tali auctoritate uti fas est), tale frigoris opus est, quae ei eruptionis in rubeola introvertentendae potestas falso tribuitur, ea non soli frigori, sed calori et aliis stimulis tribuenda. Unde ad nihil frigoris,

* Med. Rep. vol. ii, p. 88.

proprie rubeolae nocentis, opinio recidere, in hoc pariter et aliis ejusdem formae morbis, manifesta est *."

Si quidem vera praedicant, qui balneum frigidum in febre cum pneumonia et catarrho admitti posse monent, necessaria est conclusio, non esse quod obstet in rubeolae febre non aliter ac in aliis hujusmodi morbis, (cultis de ejus usu praeceptis), cur minus adhibeatur. Ac ne hac de re existat controversia, planum periculo factum et probatum est. Mihi cecidit, inquit CURRIE, balneum frigidum in stadio rubeolarum *eruptivo* quater praecipisse, atque in singulis horum exemplis morbus fit admodum mitis †. Atque ne res in medio relinqueretur, a GIANNINI quoque monitum, se balneo fretum frigido, ad finem optatum iterum atque iterum perduxisse morbum.

* Brunonis Element. Medicinae.

† Med. Rep. vol. ii, p, 77.

Scarlatinae varietatem tantum habendam esse illam cynanches speciem malignam dictam, omnes inter medicos nunc temporis constat: ideoque hoc sub titulo utrumque includere vellem. Apud hunc morbum ardentem, balneum frigidum tempore et rite adhibitum, calore nempe pertinaciter aucto, tam certa vi pollere videtur, ut ejus huic exitiali morbo adaptatio, invento Jenneriano, omnino secundum minime habendum est.

Plurimi ex hoc in rebus medicis bene cogniti, atque imprimis probati, balneo frigido maxima cum laude assidue uti solent; ac idem facientes ad imitandum, ut mea fert opinio, exemplum proponunt. Morbus remedio haud sine labore non porriget herbam; sed ejus iterum ac saepius plerumque efflagitabit usum. Nam ad morbo subveniendum, quoties praeter ordinem recalescit corpus, remedio utendum. Hoc vero in adhibendo remedio, ne unquam desit animis,

scilicet, quod nisi corporis admodum augeatur calor, atque humore careat cutis, haudquaquam usurpandum.

Fructus ex balneo frigido in febre flava sumptus, nos adducat ut eodem remedio in morbo quibusdam rebus non dissimili, peste nempe, non sine pari utilitate ut uti possemus, inferamus.

> In fluvios partim gelidos ardentia morbo
> Membra dabant, nudum jacientes corpus in undas.
>
> LUCRET.

Plurimae porro hoc de negotio in medium prolatae sunt historiae, quae talem sententiam roborant, atque nonnihil spei praebent, hunc etiam morbum immanem hac medicina flecti posse. Russicus medicus, SAMOILOWITZ, in libro de Peste edito, glacie totum corpus cum successu perfricare solitum fuisse docet. "Les frictions glaciales," inquit, "sont donc une remede tres utile dans cette terrible maladie. Ce sont autant de faits réels,

par lesquels je puis me flatter d'avoir sauvé la vie des trois individus, qui étoient tout pret de mourir, lorsqu'ils sont tombés entre mes mains; sans parler de plusieurs autres, sur lesquels j'ai employé ces frictions glaciales avec la plus grand succés."

Militem commemorat quoque DESGENETTES in Nilo lotum a peste liberatum fuisse *. A SAVARY denique accepimus, ut peste laborantes in Nilo sese cum fructu perluere solent. "J'ignore," inquit, "si cette remede est infallible; mais je suis certain, que toutes les matieres pestiferées, que l'on passe dans l'eau, ne communiquent plus le poison †."

Haec aliaque non minus fide digna testimonia, nullum dubitandi locum relinquunt,

* Histoire Médicale de l'Armée d'Orient.

† Lettres d'Egypte.

quin hic adhuc ad medicorum desperationem immedicabilis morbus, hoc simplici remedio terroribus privari possit.

An miliariam primarium an symptomaticum vitium aestimamus, haud minus dubium erit quin balneum frigidum gravioribus mali signis succurrere bene aptatum sit. Quod quidem periculis a Giannini ad rem certiorem reddendam institutis docemur.

Commodum in quibusdam haemorrhagiarum generibus, a frigore corpori admoto captandum, in ore vulgi versatur. Indicus vulneribus onustus, instinctu naturae duce, se in proximum amnem dejicit, quo sistatur fluens sanguis. Aqua frigida quidem parti admota ex sententia saepe procedat; in plurimis vero exemplis, balneum frigidum pro re sine ulla dubitatione magis faciet.

Parum ad profluvia accommodatum primo aspectu videretur balneum frigidum. Expe-

dit tamen Currie, seipsum catarrho laborantem in balneum frigidum cum commodo recepisse. De ejus utilitate in dysenteria regionum calidarum longa a Doctore Lind praebetur testimonium.

NEUROSES.

Cum ad imperium quod in genus nervosum est balneo frigido spectamus, magna nobis affulget expectatio idem in hujusmodi morbis plurimum profuturum. Minime vero omnibus sub hac classe comprehensis aeque prodesse reperitur. Quanquam in comatum generibus ab aqua frigida partibus admota auxilium sperandum, nullus tamen balnei ad corpus universum adhibendi praebetur locus.

Neque in adynamiis, quibus restat remedii usus, ratione habita principiis, plus indicari videretur usus.

In plurimis spasmorum vero balneo frigido utendi amplior patet campus. Hippo-

cratem atque Galenum quidem, ex balnei usu ortas coarguisse convulsiones, non inficiandum ; aliis quoque medicis eadem fuit opinio. " J'ai vu," inquit Macard, " un jeune homme être saisi de mouvemens convulsifs des le premier bain *."

Licet vero morbo opportuno corpore talis perinde ac alia aequipollens occasio inferret convulsiones, mihi non minus sit verisimile ut instar fabulosissimae hastae, quae simul fecit et sanavit vulnus, id etiam morbo possit esse et causa et remedium.

Hic vero non extra callem brevi perstringere, quod hujusmodi morbis universali corporis convulsione stipatis solis prodest remedium, atque optimos effectus cum ex tempore convulsionis ac inopinans in balneo subito demergatur aeger, praestare constat. Quid

* De l'Usage et de la Nature des Bains.

hoc de capite ei in animo fuit, sic aperit CURRIE: "The benefit derived from the cold bath in convulsive diseases, depends on its being used in the paroxysm of convulsion: its efficacy consists in resolving or abating the paroxysm; and when this effect is produced, the return of the paroxysm is greatly retarded, if not entirely prevented *."

Insignia de ejus in tetano utilitate undequaque dedita sunt commenta. Frustra verum contereretur tempus in commemorando varia hac ratione sanatorum exempla. Affatim est paucis expedire, ut hic morbus teterrimus viribus balnei frigidi fasces saepe submisit, postquam ex solitis remediis cum spe falaci imploratum fuisset auxilium. Fructus vero optime respondebit labori, si in tetano, sponte incidente, adhibeatur remedium. Attamen vero ab ejus in tetano a vulnere ori-

* Med. Rep. vol. i, p. 160.

undo usu, a Doctore WRIGHT adjumentum expertum *, a fide non alienum reddit, in hac quoque morbi specie non efficacitate prorsus cariturum.

Balnei frigidi in convulsione usum multum laudat et suadet CURRIE †. Raro, testificatur, in impuberum convulsionibus, ad tempus saltem, sedandis medicum frustratur : quo pacto ad idonea adhibenda remedia datur occasio.

Multum a balnei frigidi in chorea et epilepsia usu vix ac ne vix quidem sperandum boni. Memoriae tamen traditae sunt his morbis hac ratione liberatorum historiae ‡.

Ad balneum frigidum prae omnibus in hysteriae *paroxysmo* nunquam non currendum,

* Med. Obs. and Enq. vol. vi.

† Med. Rep. vol. i, p. 156.

‡ Baynard on the Cold Bath. Stock on the Effects of Cold, Appendix.

censuit Currie *. Nihil est certe, discusso morbo, ad quod ad valetudinem stabiliendam potiori consilio confugiat aeger.

Morbi ingenio rationeque in animo expensis, anne in hydrophobia inutile et absonum balneum putetur frigidum, disputatione forsan egeat. Si quidem suaderet Celsus brevi solveretur nodus. " Unicum tamen remedium est, nec opinantem in piscinam non ante ei provisam projicere, et, si natandi scientiam non habet, modo mersum bibere pati, modo attollere ; si habet, interdum deprimere, ut invitus quoque aqua satietur †." Ratio haud dubio aegri aqua satiandi satis efficax : anne vero ad balneum tali consilio confugiendum non prorsus certa res est. Ad periculum tamen remedii faciendum non desunt incitamenta. Si ad commoda e balneo frigido in tetano adhibito deducta modo

* Med. Rep. vol. i, p. 156.

† Lib. v. c. 27. § 2.

spectemus, non aegre ejus in hoc morbo haud procul a ratione abesse concedamus usum. Nihil tamen nobis necesse est, in arbitrio hac de re ferendo, ducem *analogiam* solam sequi : tali enim morbo conflictatos, ad sanitatem hac ratione fuisse restitutos, Van Helmont testimonium perhibet *. Aliaque quoque et recentiora balnei frigidi utilitatis examina, rem non vero reddunt absimilem, in hoc etiam morborum teterrimo haud incisa spe uti posse remedio †. In hujusmodi revera morbis, lapidem movere omnem, oportet medicum : "Satius est enim anceps auxilium experiri, quam nullum."

Propter vim, qua in genere nervoso afficiendo et conquassando pollet corpori admotum frigus, magnopere in vesaniis curandis valiturum, balnei usum frigidi spes affulgeat.

* Mead's Works, 4to, p. 92.

† Southwell's Med. Essays, vol. ii. p. 94.

Multum sane in ullis mente conturbatorum exemplis tali ratione vix aut ne vix aleae subeat curans; at in dementia tamen universali, mania nempe, expectatio prae aliis summa sit remedio. Balnei frigidi in hac specie furoris depellenda, medicis diu exploratissima facultas. Plurima quidem, ne longum faciam, quibus constat indubitatissima fides hoc de negotio, testimonia sunt, cur mentis lumine captos ad illud optime divinae benignitatis donum, mentem nempe sanam in sano corpore, hac via restitui quire speremus *.

CACHEXIAE.

Parum aut nihil hujusmodi vitiis profuturum balneum spondet frigidum; quanquam non defuerunt, quibus placuit, ejus in quibusdam horum morborum, in anasarca potissimum et tympanitide, multum laudare et suadere usum.

---

* Aretaeus de Curat. Phrenet. Baynard's Med. and Phys. Journal, vol. xi. Med. Rep. vol. i, p. 180.

In polysarcia quidem, inter quem et alios longum intercedit discrimen, cum multo aequiori consilio praecipiatur remedium.

Neque demum mihi videre videor aliquid promovisse, qui rachitide vel scrofula vel scorbuto ullove istiusmodi vitio conflictatis auctores sunt, spem valetudinis recuperandae in balneo frigido solo prorsus esse reponendam.

LOCALES.

Quamvis plurimorum morborum hoc sub capite comprehensorum ingenio quod balnei frigidi usum vetaret nihil inesse videtur, at ejus usu tamen universo ad mala hujusmodi profliganda vix opus erit.

FINIS.